



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

15. Et Concilij Lateranensis sub Alexandro III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

impiorum confortio, literas ad Regem componit, libertatis ac ardoris plenas, & quales solent, cum quis amat, dolereque, & medius inter indignationem ac reverentiam pender, clauditque his verbis Epistolam, quæ ad propositum nostrum apprimè faciunt, vid: *Melius enim fuerat, vos non nasci, quam Diaboli patrocinio velle regnare. Scitis enim, quia si hoc feceritis & talibus consilijs acquieveritis, nunquam me fidelem habeatis, sed & quosunque potuero, a vestra fidelitate revocabo, & cum omnibus Coepiscopis meis vos & omnes vestros excommunicans aeterno anathemate condemnabo.* Pro fidelitate, quam vobis servo, gemebundus scribo, Regnum enim, quod DEUS dat, firmum habet fundamentum; quod verò per injustitiam & rapinas acquiritur, caducum est, & cito deciduum. Hæc Fulco apud (a) Flodoardum. Fuit is nobilitate, pietate, ac doctrinâ insignis, & inter præcipua Ecclesiæ Gallicanæ lumina censeri potest. Si ergo is credidit, ob Religionem in discrimen adductam, ac fœdus cum gentilibus initum, quorum societate periclitari, pervertique Imperium posset, Regiâ dignitate exui Regem debere, idque in potestate Archi-Episcopi Rhemensis esse; quanto magis hanc ipsam potestatem Romano Pontifici tribueret, cujus custodiæ ac curæ omnes Ecclesiæ committuntur? Nec Fulco tam præsidenter & omnium suorum Coepiscoporum nomine hæc scriberet, nisi ei constaret, hanc aliorum Galliæ Episcoporum mentem & sententiam esse.

XV. Anno MCLXXIX. Celebratum est Concilium Lateranense Oecumenicum, cui quàm plurimi Galliæ Episcopi interfuere, in quo cap. ultimo in Dominos, qui certum prædonum genus foverent, hæc pœna indicitur: *Relaxatos se noverint à debito fidelitatis, & hominij ac totius obsequij, donec in tanta iniquitate permanserint.* Agnoverunt ergo Patres, & inter illos Galliæ Præsules, posse à Summo Pontifice (nam huic Synodo Alexander III. præsidebat,) non solum spiritualibus pœnis, quæ plerumque à sceleratis contemnuntur, sed etiam temporalibus delinquentes puniri.

XVI. Anno MCCXVI. Magnum & Oecumenicum Lateranense Concilium convenit, quo nullum frequentius, ac pluribus Infulis celebre, quippe cui adfuerunt, Urspergensis, Stadenſis & Parisiensibus, (b) Episcopi 42. Archi-Episcopi 70. Prælati alij supra

B b b b

800. Pa-

(a) Flodoard. hist. Rhem. l. 4. c. 5. (b) V. Raynald. ad ann. 1215.